QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum die Iovis octavâ Februarii 1685.

M. NICOLAO BAILLY, Doctore Medico, Præside.

An ex insomniis temperamenti cognitio?

I

TEMPERAMENTI nomen celeberrimum nomen est. Hoc assiduò recinunt pueri, senesque; hoc omnium sermone teritur. Temperamenti laus magna sivè apud ægrotantes, sivè apud medentes. Hujus Medici peritiæ, curæque multò jucundiùs committere se solent ægri, cui jam aliundè suam innotuisse temperiem putant. Ipse Medicus eos à se commodiùs curandos gloriatur, quorum temperies sibi jam antè fuerit explorata. Hinc rerum Domini Medicos magnis invitant præmiis, ut uni suæ temperiei studeant, hanc vigiles diu noctuque meditentur; hinc Medici seniores ab omnibus petuntur & expetuntur, dum juvenes frigent, quod senum in æstimandâ temperie major industria esse perhibeatur. Clavem itaquè iis esse præ manibus jure credas, cujus operâ pateat aditus ad imos secessus corporum, quibus feliciùs & faciliùs nota cujusque hominis temperies. Hujus profectò temperiei magna vis, & potentia superior cæli & astrorum impressionibus. Hæc naturæ præcipuum ad omnia munia instrumentum non immeritò prædicatur. Eapropter à temperie esse conqueruntur improbi, quod turpi inhient lucro, quod omni deposito pudore stuprum virginibus inferant, quod sacris non parcant, quod templa deorum, civium domos iniquè compilent.

Sicut è contrà iidem (nec minùs perversè) huic acceptum referunt alii, quod virtute cæteris antecellant nonnulli, quod sivè domi, sivè militiæ principatũ obtineant. Atquè cum tantùm valeat temperies, nil mirum quod Ars Medica tot leges condiderit, tot signa tradiderit, quibus illa retegatur. A capite ad calcem hominem attentiùs intuetur, ut assequatur quâ sit temperie is donatus. Ex unguibus, ex pilis, ex reliquiis alimentorum argumenta petit, quibus præcellens qualitatum nodus enodetur. Nequè negem ab his notis certi quiddam concludi posse. At eo maximè se prodit temperamentum, quod fidem facit haud dubiam, quæ sit victrix in corpore qualitas; quod testatur quæ sit indoles molis sanguineæ, quæ causa functionum.

II.

QUI doctrinam atomorum profitentur, minùs illi de temperie solliciti sunt. Vix aliquam de ea movere quæstionem videntur, qui munia quæque naturalia ab istis principiis proficisci putant, non autem ab elementis. Facilè etenim intelligitur quantùm temperies habeat ad benè medendum commodi & utilitatis. Sunt qui qualitati cuilibet bellum indicunt: atquè adeò temperiem substantiæ formæquè titulo donent. Sed ancillam cum dominâ præposterè confundunt, qui sic philosophantur. Concentum & harmoniam esse temperiem voluerunt quidam in republicâ medicâ spectatissimi. Multùm illi quidem auribus blandiuntur hac sua dulcedine cantûs: sed rem ideò clariùs non exponunt. Sophistæ potiùs, quàm Medici quærunt, an temperies quinta sit qualitas? Modò tibi persuasum sit albo qualitatum ascribendam esse temperiem, ne cures an secunda sit vel tertia. In hoc Medicinæ principes imitabere, qui primas quatuor qualitates ordinatè, cæteras confusè composuerunt. Sicut ex albo colore, cæruleo, vel alio quovis simul juncto unus aliquis prodit & emicat color: sic ex qualitatibus secum unà confusis nascitur aliqua, cujus in corpore maximum est imperium. Paterno & materno semine permixto, eccè brevi temperies adest optata, quæ sicut ædificando corpori jam jam præest: sic eidem posthâc regendo, conservandoque primas tenet. Ac licet qualitatum ferè cunctarum caduca, mutabilis indoles: illa victrix perstat, ac superstite subjecto superstes ac propè immo-

ta manet. In morem vulpis, quæ pellem nuſquam exuit, in morem plantarum quæ licet mutent ſolum, naturam vix mutant. Reginæ qualitatis hujus indolem maximè refert humor, quo vel alitur, vel alluitur corpus. Hinc cui temperies fervida contigit à naturâ, is bile tumet; nequè verò ſolùm ſucci in corpore contenti motum, & impetum habent à temperie, quælibet ab eâ facultas excitatur ad actum; undè tam in naturalibus quàm in animalibus functionibus diverſitas. A temperie quippè alii ad venerem ſegnes, alii citi, alii ſtolidi & hebetes frugibus conſumendis naſcuntur; alii mentis acie pollent, ſublimiora quæquè animo verſant, urbi & orbi dant jura.

III.

SOMNUS & vigilia variæ ſunt affectiones ſingulorum animalium. Ità quippè diviſa fuerunt vitæ penſa, ut animalibus mox vigilandum, mox dormiendum ſit. Hæc diverſa affectio, diversè ſe prodit. Tempore vigiliæ graditur animal, quæ ſunt ad vitam ſuſtentandam alimenta neceſſaria perquirit, quibus poſthâc urgente fame paſcatur; tecta conſtruit, quibus ſolem & imbres arceat, proli dat operam ſeu genitæ, ſeu mox generandæ. Dum vigilat homo, totus movetur; totus, ut ſic dicam, in fermento eſt. At dum irrepſit ſomnus, pronum jacet animal, quietum eſt; clauduntur oculi, clauduntur ferè oſtia cætera, quibus aditus eſt ad animæ regiam. At dùm carnium moles, dùm externæ partes quiete potiuntur; Naturæ vis omnis quæ tota penetralibus corporum abditur, minus otiatur. Illa cibos perfectiùs coquit tunc temporis, ſanguinem præparat, ſpiritus conficit, divitias accumulat, quibus illata damna à vigiliâ reſarciat, ac par ſit impenſis vigiliæ propè futuræ ſuſtinendis. Hac arte mirabili, hac motus & quietis viciſſitudine, hac accepti & expenſi ratione corpus quodque animalium viget, conſervatur: ſicut regna mox bello, mox pace florent: ſicut mercium reciprocâ advectione & tranſvectione urbes locupletantur. Dùm ſomno indulget homo, licet externi ſenſus ferientur, mens aut anima tota non feriatur. Plures ideæ rerum per ſenſus ad cerebrum deportatæ ſunt tempore vigiliæ, quæ vel in cerebro altiùs inſculptæ, vel aliquâ ſui ſaltem in hac parte molli veſtigia reliquerunt.

Neque verò ſubſtantia ſolùm cerebri, ſed ipſi nonnumquàm ſpiritus & humores conſignantur his ſpeciebus rerum. Hæ porrò ſpecies per ſomnum vim imaginantem inordinatè movent. Hinc perturbatæ cogitationes ſæpe numerò, quæ nobis inſomnia ſunt. His & ſimilibus inſomniis animalia non minùs, quàm homines vulgò ſollicitantur. Hinc totiès auditi canes allatrantes, cùm in utramque aurem dormirent. Pueris ſicut fæminis viſa talia dormientibus objiciuntur multò ſæpiùs, quàm viris. Hinc vociferantur, ululant, rident pueri fœminæque his oris quibus arctè graviterque ſomnum capiunt. Eadem eſt in ſomnis vulgò ſpecies eorum, quæ vigilantes vidimus. Attamen aliquandò animus exſpatiatur, incidit in viſa pulchra, difformia, ad metum, ad horrorem, ad hilaritatem compoſita, quæ nec vigilans geſſit, aut cogitavit uſquàm: Et ex eorum apprehenſione mirabiles exiſtunt ſomniorum ſpecies. Exquibuſlibet ſomniis quiddam conjici poſſe plures opinantur; unde tot conjectores ſomniorum. Apud oratorem Chryſippus quidam ſomniorum vaferrimns interpres audit. Hic μανθὴς κακȣ̃ ab Homero, ab Hippocrate διονισὴς tantum, ab aliis κακόσχολος diceretur. Satis tibi ſit ſi ex inſomniis qualitatum craſim æquiùs æſtimare poſſis.

IV.

QUO tempore ſenſus arctis ſomni compedibus vinciuntur; ſi vinculis quibuſdam, laxioribus certè cerebrum colligatur. Etenim acceſſione deceſſioneque ſanguinis ac ſpirituum pars princeps diffunditur & conſtringitur ſemper in modum cordis; atquè cùm cerebri cortex, ejuſque pori ſpirituum inſtabilium afluxu turgeant maximè his horis ſomni, cerebrum ab iis ſpiritibus variè movetur. Nec conquieſcit reparatus & auctus ſanguis in arteriis, nervos quibus arteriæ conſtant, quatit, & indè pleræque cerebri fibræ huc illuc aguntur. Hi motus varii perveniunt ad animam, hanc excitant, undè cogitationes confuſæ. Namquè ut ſpecula ſunt, quæ rerum imagines minores, majores, rectas, inverſas propter varium partium ordinem ſitumquè, propter inæqualem ſuperficiem ſuam reddunt: ſic ex inconſtantibus motibus ſanguinis ac ſpirituum, & præter regulam patentibus aut occluſis foraminibus cerebri deducitur anima in errores ſomniorum. At licet mens tunc

hallucinetur, ut plurimùm aliquid veri huic ſuæ fraudi permiſcetur. Sicut conſpicilium tabulatum ex omni parte oculis non illudit, dum objecta longè diſtantia, proxima facit: ſicut microcoſpium non uſquequaquè mentitur quùm atomos mole donat corporeâ, magnitudine plurimum auget. Quas habent ſanguis ac ſpiritus affectiones, has habent à temperie. Quâ de causâ melancholici ſanguis craſſus & fuſcus dicitur, biliosi flavus ac tenuis; pituitoſi fluidus & albus, ſanguinei ruber & mediocris conſiſtentiæ creditur. Spiritus ipſe ſanguis eſt, flos ejus ac pars ſubtiliſſima. Qualis ergò ſanguis, talis ſpiritus. Nil itaquè mirum quod ſanguis aut ſpiritus his & aliis dotibus inſtructus, diverſimode cerebrum & mentem impellat: ſicut hanc ſenſationem calor, hanc frigus facit. Sicut aliâ ratione piper, aliâ cinnamomum linguam pungit. Sicut nigrum & album diſſimili modo retinam afficiunt. Sic à ſanguine melancholico vel pituitoſo variæ motiones in cerebro & mente excitantur. Res eſt extra dubium poſita, ſigillum ceram hâc effigie vel his characteribus certo conſignat. Effectus aſſimilatur cauſæ. Quæcumque ſit itaque in ſomniis confuſio, diſtinctiùs explicabitur ab iis, quæ ſit cerebri διάθεσις, quæ ſanguinis ac ſpirituum indoles. Quod ſi ex delirii ſpecie, quæ ſit natura febricitantis cognoſcitur? Quid ni hæc eadem natura declaretur inſomniis. Profectò per vigiliam facilè celat iram bilioſus, non ita per ſomnum. Per ſomnum nil fictè, nil ſimulatè loquitur callidus & verſutus melancholicus. Si quod ſœpè fit ambulat, minimè perſonatus ambulat. Quin ipſe ſuam tunc evidentiùs patefaciet ſocordiam pituitoſus; quàm tardo ſit & hebeti ingenio non obſcurè ſignificabit. Socianda verba lyræ fortè fortunâ proferet ſanguineus; & ita oſtendet quot ipſe habeat ad voluptatem incitamenta. Naturam dicas nuſquam meliùs in lucem educi quàm abſente luce.

V.

NIL temerè, nil indoctè fit à naturâ, ipſis inſomniis docemur. Ut hominem maximè cognitum & perſpectum habeas, non tàm diligenter attende, quo ſit ille colore cutis, quibus ornatus pilis, quas lineas ſeu manu, ſeu fronte gerat inſculptas. Sciſcitare ab eo, dùm expergiſcitur, quæ ſibi rerum imago occurrat obdormenti, fida hæc erit naturæ interpres. In quiete puella videbitur egregiâ ſpecie juveni εὐσάρκῳ πολυ-

τρόφω. Faces ardentes, corpora mille data letho, jurgia, lites cum aliquis somniabit, ex eo veracia bilis congestæ furentisque indicia sumes. Somnia plena terroris, & timoris atra caligo offundens oculos, mutilatorum corporum ideæ, nonnè temperiei melancholicæ testimonia sunt inexpugnabilia? Eluviones, trajectiones fluminum, naufragia si cui dormienti objiciantur, an titubanter affirmabis, hunc esse naturâ pituitosum? Hæc igitur signa præ fastu morosо ne rejicias: ne jactanter dicas hæc à mulierculis, stolidâve plebe inquirenda potiùs quàm à Philosophis vel Medicis. Illa minùs neglexit Galenus, cujus in verba juras. Cùm aliquis æger Principi Medico retulisset se totâ nocte sibi visum fuisse turpi cœno infixum & infectum: protinùs expurgandum esse hunc ægrotantem inde Galenus illicò judicavit. Vis addam plura, sed quæ novitate suâ minùs insolentia sint, quæ ad portentorum miracula non accedant; quæ fidem humanam nullatenùs superent. Vix assequebatur Galenus, quis humor ægritudinis esset parens ac fomes in ægrotante; quod subobscurum erat, insomniis patefactum fuit. Æger in quiete visus est aquis immergi. Somnium interpretatus Galenus hydragogis vacuandum hunc hominem asseruit. Pro votis res successit. Expeditâ alvo serosis recrementis, convaluit æger. Quod si somniis probatur, quid utile, quid amicum sit ægrotantibus, nec non & ostenditur via, quæ sit ad salutem securior ac certior; quidni & iisdem temperamenti cognitionem assequamur.

Ergo ex insomniis temperamenti cognitio.

Domini Doctores disputaturi.

M. Claudius Puylon, Decanus.
M. Claudius Berger.
M. Claudius Biendisant.
M. Claudius Guerin.
M. Dominicus de Farcy, rei Herbariæ Professor.
M. Henricus Mahieu.
M. Claudius Guerin.
M. Claudius Germain.
M. Germanus Preaux.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS GOUEL, Parisinus Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1685.

PARISIIS,
Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.